Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

§ 9

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

tuatio est scrupulosis praesentissimum inanis scrupuli signum.

§. 8.vus
Bonitatis divinae meditatio

Octavum remedium est ut scrupulosus, praesertim si scrupuli ex quadam melancholia oriantur, de bonitate, de misericordia, de amabilitate Dei, de aeterna Beatitudine et huiusmodi, quae animum in spiritualem Laetitiam provocant, spem ac solatium augent, mentis tranquillitatem promovent, frequenter discurrat, ac meditetur; Illa autem, quae terrorem incutiunt, metumque ingerunt, ut sunt frequens meditatio extremi judicii, inferni, Item Lectio Librorum à rigidis authonibus conscriptorum penitus intermittat; sicut enim priora valent ad depellendas anxietates, eoquod cor dilatent, sic ista ad nihil scrupulosis inserviunt, nisi ut eum magis ac magis intimident, coarctent, ac coangustent undique.

§. 9.nus
Doctrix morum Discretio

Nonum remedium est discre-

dio, quæ planè doctrix est mo-
rum, moderatrix operum, ordi-
natrix affectuum, verbô virtu-
tum omnium condimentum;
Hæc itaqs à scrupulosis exigit
Xmo ut nihil supra vires ag-
grediatur, memor illius ada-
gii: qui nimis cupit, parùm
stringit. Veraciter Auctor
l. imit. Christi l. 3. c. 7. Qui-
dam, inquit, incauti propter
devotionis gratiam se ipsos
destruxerunt: quia plus agere
voluerunt, quàm potuerunt, non
pensantes suæ parvitatis men-
suram, sed magis cordis affectu
sequentes, quam rationis judi-
cium, Et quia maiora præsump-
serunt, quàm Deo placitum fuit,
idcirco gratiam citò perdiderunt.
Facti sunt inopes et viles relicti
qui in cœlum posuerunt nidum si-
bi, ut humiliati et depauperati
discant non alis suis volare, sed
sub pennis meis sperare. Sciat
itaqs scrupulosus, quòd sicut nemo
de repente fit pessimus, ita è con-
so nemo de repente fit perfectus.
Ibunt de virtute in virtutem,
ait psalmista, non in virtutes, † dicit
quia nimirum successivè fit mo-
tus ad perfectionem, et nemo uno
die ad Xma redire potest inno-
centiam.

2do postulat discretio à scrupu-
loso, ut ad doctrinam D. Augus-
tini probè attendat, ac ad eius
normam componere vitam ada-
boret; dum super illa verba
apostoli Rom. 6to non regnet
peccatum in vestro mortali cor-
pore, in hæc excurrit verba:
„ attendite sancti /: dico ego scrupu-
„ losi :/ quicunq; pugnatis ..... volu-
„ mus, ut nulla sint concupiscen-
„ tiæ, sed non possumus. velimus
„ nolimus habemus illas: velimus,
„ nolimus titillant, blandiuntur,
„ stimulant, infestant, ... ~~Exer~~
„ Exercete bellum, sperate trium-
„ phum, facite, quod potestis, quod
„ ait ipse apostolus: non regnet
peccatum in vestro mortali cor-
pore ad obediendum desideriis eius.
„ non ait non sit peccatum; sed
„ non regnet. Quamdiu vivis pec-
„ catum necesse est esse in mem-
„ bris tuis; saltem illi regnum
„ auferatur, non fiat, quod iubet.
hæc S. August. Itaq; formidare
aut anxiari nequaquam debet scru-
pulosus, si variis infestetur, ac
agitetur concupiscentiæ deside-
riis, dummodo eis assensum non
præbeat, non enim nocet sensus, si
desit consensus, imo quod resistentè
fatigat, vincentem coronat, ait D.
Bernardg.

3tio Exigit discretio à scrupulosio, ut advertat, ac pro indubitato habeat, nunquam committi peccatum, cuius malitia advertentiae defectu invincibiliter ignoratur; nam conscientia praesens non verò subsequens facit peccatum.

4to Exigit discretio, ut scrupulosus in aestu tentationis, qualis demum illa sit, nunquam discutiat, aut examinet, an praebuerit consensum nec ne; id enim nil iuvat nisi ad caput Laedendum ac se ipsum sine fructu vexandum; sed huiusmodi examen in vesperum, vel in aliud tempus reiiciat, interim ipse se blande convertat ad Deum dolens, si forsan eum offendisset, postea enim redditus tranquillitati longè verius de sua actione ferre poterit iudicium; Et si sit homo bonae voluntatis ~~communiter~~ ut plurimum deprehendet meras fuisse phantasias, inanesq; timores. Quod si verò quandoq; eum constiterit peccasse, nullam tamen in animum permittat subrepere pusillanimitatem, aut nimia anxietatem, neq; nimis scrupulosè perquirat, unde id acciderit, aut diutiq quam oportet defectu suum apud se (quasi fugiens à Deo) revolvat: sed citò se in Deum recipiat, et contrito atq; amanti corde ad Christum conversus (etiamsi sensibilis contritio non adsit) dicat: Domine, ego ad te confugio, culpam agnosco: propitius esto mihi peccatori. proijcio iniquitates et negligentias meas

in abyssum miserationū tuarum. renuntio omnibus quæ tibi displicent et quicquid tu non es, relinquo. propono per gratiam tuam corrigere me: abluere me pretiosō sanguine tuo. in te spero clementissime mi, et amabilem dexterā tuam, quæ me cadentem semper excipit, deosculor. Hac in Deum conversione deletur culpa, augetur gratia, et tranquilla conservatur conscientia.

§. 10mus

Sincera Dei Dilectiō.

Decimum remedium est, ut scrupulosus se totum Deo dedat, atqs totaliter conversus à creaturis se ad Deum sincerō charitatis amore convertat; Scire enim eum oportet, quōd nunquam veram pacem ac tranquillitatem animi nanciscī poterit, nisi ad eam charitatem pervenerit, quā cum sponsa in cælicis gloriari possit: ego dilecto meo, et ad me conversio eius. Cant. 7. Et hoc remedium meō judicio omnia alia facilē superat.

1mo Quia dilectio Dei timorem, qui perturbare iudicium consuevit penitus depellit, dicente S. Scriptura: charitas foras mittit timorē 1. Jo. 4. Item fortis est ut mors dilectio. Cant. 8. hinc benè Trithemius Abbas Spanheimensis. orat. de operat. div. amoris ait, Conscientia non poterit esse anxia, si cum dilecto per amorem fuerit concordata, nec erit amplius difficile conscientiæ tran-